

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

Cap. IX. De Superbia, Ambitione & inani Gloria. Icon Superbi. Dignitatum
vanitas, & pericula. Tumoris mala, & alexipharmacata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

CAP. IX. *De Superbia, Ambitione & inani gloria. Icon superbi. Dignitatum vanitas & pericula. Tumoris mala & alexipharmacaca.*

1. **S**uperbia, ambitio, & inanis gloria cognata sunt vitia, è quibus tanquam Oceano omnium malorum flumina oriuntur. Nam cum sibi pro fine propriam excellentiam proposuit homo, huc omnia dirigit, spreto Dei cultu, neglectâ hominum reverentiâ. Et si illi aditus ad gloriam non patet nisi per scelera: per scelera ad gloriam ibit; viamque sibi ad prætensum decus aperiet, per dolos & fraudes, proximique ruinam & cædem. Superbus Deo odibilis, humano generi intolerabilis, omnia studia & opera sua ad captandam hominum laudem inflebet. Se gradu potiori dignum putat, sibique in illo maximè complacet. Majora viribus temerè aggreditur, omnibus negotiis se ultrò ingerit, se ipsum impudenter extollit, cæteros aspernatur. Callide simulat humilitatem, ut à se removeat ambitionis suspicionem. De gradu dejectus omnia querelis implet, suscitatque rixas & odia. Erga inferiores ferum se & truculentum exhibit: erga superiores assentator est quovis mancipio timidior & obsequentior. Bona, si quæ habet, non Deo, ut par est, sed sibi arroganter attribuit. Affectat in omnibus videri, deque rebus altissimis, quas ignorat, quasi ex propria experientia subtiliter differit. Aliorum facta curiosè inquirit, temerè iudicat, severè damnat: auget vitia, laudem imminuit. In sermone & incessu fastum quemdam præ se fert aliorumque contemptum. Odit correctionem, respuit consilia, monitis non acquiescit. Bona sibi opinatur adesse, quibus caret: & quæ habet multò majora sibi fingit, quam sint. Ideo indignatur & ad pessima quæque flagitia se dejicit, si cæteris tanquam dignior non præferatur, si se & sua negligi suspicetur. Fluctuat cor ejus perpetuis motibus, quia cum honor quem cupit, in aliena sit potestate, necesse est illum turbidis affectibus conti-

nuò agitari. *Initium omnis peccati est superbia.*

2. Pone in statera , si sapis, & compara cum minima æternæ felicitatis particula quæcumque tibi optanda in hoc sæculo videntur , regna , imperia , orbem denique totum ; excutiet illa suo pondere mundum universum cum pompis suis , tanquam folium , quod vento rapitur. Erige te ergò ad æterna & te dignum fac cœlo , cui natus es. Excute superbas tuæ excellentiæ cogitationes & te veris bonis metire. Si te Cæsar adoptasset in filium , quis ferret supercilium tuum ? Nunc autem Dei filius es , Christi sanguine redemptus : cur non cogitas originem tuam? cur te abjicis ad terrena tuo genere prorsus indigna ? Ad Cœli & siderum dominatum te vocat Pater : ad posses- sionem semper duraturam. Hic ingentes sume animos , hâc promissione extollere , ab hoc Patre nobilitatem tuam jaæta , ad ejus similitudinem mores tuos compone. Hæc est via , quæ ad veram gloriam perducit.

3. Quid sunt sceptræ ? quid coronæ ? Fulgidæ compedes & clara miseria , quæ si plenè hominibus nota esset nunquam de solio litigarent. Plura essent regna , quàm reges. Magna servitus est , magna fortuna. Isti , quos vulgus beatos censet , longè aliter de se sentiunt : nam gravior ipsis incumbit felicitas , quæ graves illos populo redit. Tunc laudant otium lene & sui juris. Tunc odio est illis fulgor , quem priùs admirabantur. Tunc attoniti & trementes de terrenorum vanitate philosophantur. Tunc mortem formidant & tremendum Dei judicium , ante cujus conspectum nihil proderit tanto studio quæsita dignitas , tot parta sudoribus & empta sanguine. Sic igitur vive , ut securum te inveniat illud tribunal. Qui nunc humiliatur , tunc exaltabitur.

4. Insanis , si te putas adeptâ dignitate securum & quietum fore. Quod olim licuit , jam non licebit : minor li- centia in magnis est. Quò altior fueris , eò magis vitia tua apparebunt. Non latet qui in fastigio est. Si qua tibi olim tranquillitas fuit , jam periit. Nullum tibi secretum

liberum erit: nullum poteris diem ex arbitrio tuo disponere. Magni sunt ex alto casus. Frustra requiem ibi quæris, ubi omnes periculum, & laborem, multi miserum vitæ exitum invenerunt. Non capiunt securas dapes regiæ mensæ. Auro & gemmis bibuntur toxica. Quot Reges proprio sanguine solium purpuratunt? Lubrica in summo statio est, pendula omnia & præcipitio proxima. Tutiūs itur per plana. Quām magnus admirantium & plaudentium numerus, tam magnus invidentium est. Quanti ibi insidiantum acervi & oppugnantium? Quām intuta omnia & suspecta? Non servis fides, non amicis, non filio, non fratri. At humi jacentem domum non intrant scelera. Securus vivit qui latet. Nullum timet, quem nemo timet.

5. Si equum videres, aut canem inter cætera suæ speciei individua principatum assumere, numquid risum cohibere posses? Tu verò majori cachinno dignus es, si super reliquos homines te extollis, quod ditior aliis, seu potentior sis. *Quid superbis terra, & cinis?* Nemo efferri potest nisi ex proprio bono. Quod est autem tuum bonum, si omnia à Deo accepisti? Nihil tuum nisi peccatum. Quod si omnia accepisti, illi redde gloriam, qui tibi bona sua largitus est. Numquid equus equo præfertur, quia multum pabuli habet & multum hordei, quia frænum aureum & gemmara ephippia? Nequaquam; sed qui celerior est alium antecellit. Ita homo, ni stultus sit, gloriam ex eo non quæreret, quod est extra se: Sed melior inquis, sum & nobilior cæteris. Si hoc dicis, omni honore indignus es, quia nemo dignè honoratur, nisi vir bonus, qui honorem spēnit & gloriam. Vera nobilitas nescit extolli & ubi vitæ splendor est, ibi quoque modestia reperitur. Maxima sublimitum gloria est, quām maxime se submittere.

6. Cognosce conditionis tuæ imbecillitatem, metire corpusculum tuum, multa reperies in te ob quæ deprimi debeas, nihil quo possis extolli. Noli Geometras &

Philosophos spernere, omnis terra punctum est. Quām miserè desipis, si regna in pūcto statuis & dividis domi-
nationes. In parvo nemo magius. Hæc terra, quam tu-
mido incessu premis, mox te premet: nec amplius ex ea
possidebis, quām frigidis & putrescentibus membris oc-
cupabis. I nunc & in hoc nihilo magna & immortalia
ædifica. Hic furores tuos, hic elatam exerce insolentiam.
Dilata hic cupiditates tuas, hic acies, hic bella molire.
Cum multum insanieris, serò tandem cognosces quām
vana dignitatum nomina, quām fallaces honorum tituli.
fuerint. Vitreum est quicquid hic lucet, dum splendor
frangitur. Magnæ arbores diù crescunt, unâ horâ extir-
pantur.

7. Magnum superbiæ irritamentum præcidisti, si la-
teas. Nemo oculis suis laetus est, nec paucorum quidem
& familiarium, sed apparatus vitiorum suorum pro mo-
do turbæ spectantis expandit. Quis eam, quām nulli
ostenderet, induit purpuram? Quis posuit secretam in
auro dapem? Quis sub umbra rusticæ arboris luxuriæ suæ
pompam solus explicuit? Ambitio scenam desiderat, nec
ullibi potentius vires suas exerit, quām inter hominum
laudes. Apis si mel fecit, equus si cucurrit, arbor si fru-
ctum protulit, nihil ultra quærunt: homo plausum desi-
derat, dígitoque monstrari, & dici, Hic est. Sed si atten-
tiùs consideraveris, qui sunt isti, à quibus optas laudari,
nihil facilius quām vulgi plausum contemnes. Homines
vani & mutabiles sunt, quos sæpè dicis insanire, qui se
omni horâ amentiæ damnant & sua sæpè reprobant consi-
lia. Brevis vita est & laudantis & ejus qui laudatur; fit-
que id in angulo terræ, quæ punctum est; ac ne ibi qui-
dem omnes consentiunt, nec quispiam sibi ipsi. At ma-
gnum est laudari à posteritate. Ab his nimis quos ne-
que vidisti, nec unquam videbis. Cur non doles te non
fuisse laudatum ab his, qui ætatem tuam antecesserunt?
sed finge immortales eos fore, qui tui recordabuntur, tui-
que futuram immortalem memoriam: quid hoc tibi mot-

tuo proderit ? quid prodest vivo ? Sæpè laudaris ubi non es & cruciaris ubi es. Pretium cujusque rei in ipsa est ; nec melior fit , si laudetur ; nec deterior si laude careat. An sol , si desint spectatores , de luce quidpiam amittit ? An carebit dulcedine ficus , flos venustate , gemma nitore , nisi encomiis celebrentur ? Magnum argumentum est animi ab altiori sede venientis laudes hominum aspernari & seipso contentum esse. Laudes perdis , si desideras : nam quid laudabile in te est ? quanta est fragilitas tua , quanta miseria , quanta salutis tuæ incertitudo ? Servus inutilis es , et si omnia feceris , quæ præstare teneris. Quâ verò fronte audebis dicere te oīnnia fecisse quæ debes ? Time igitur ne intus non sis quod foris diceris : & cave ne ea laudentur in te , ob quæ ipse displices tibi. Redde Deo : quæ ab ipso habes , esse , vivere , intelligere : nihil supererit tibi nisi peccatum. Nihil ergo cùm sis , de nihilo gloriari non potes. Incipies esse aliquid , cùm te nihil esse cognoscas.

C A P. X. *De totius corporis , sensuumque exteriorum moderatione. Quantum corpori indulgendum. Castiganda oculorum licentia. Vestium luxus damnatur.*

HAEC sanam & salubrem vitæ formam teneto , ut corpori tantum tribuas , quantum valetudini satiis est. Durius tractandum , ne animo male pareat. Indulgendum illi non serviendum. Cibus famem sedet , potio sitim extinguat , vestis arceat frigus , domus munimentum sit aduersus injurias temporum : ad alia , quæ inutilis labor veluti ad ornamentum adjecit , subsiste pavidus & time , his enim insidiaæ aduersus animam parantur. Omne honestum vile est ei , cui nimis carum est corpus , qui pro illo nimium timet. Major es , & ad majora genitus , quam ut sis vile mancipium corporis tui ; quod equidem non aliter respicere debes , quam ut vinculum animi & libertatis. Vir probus & sapiens ejus curam habet , non tanquam propter ipsum vivat , sed quia sine illo non potest. Corpus

X iiiij